

Certe Pisistratidarum dementem insaniam, atque perfidiam, nobilis in omne aevum dux, Miltiades, fugato immani Persarum exercitu, atque ipso perfuga, Hippias, interfecto, ne sic tamen prorsus deleuit. Philosophorum principi, Pythagorae, in tantum inuisus est Polycrates, quod tu dissimulas, ut Aegyptum, et Babylonem ipsam, praetulerit patriae suae, Samo, atque exinde barbaras tunc temporis Italiae oras vel cultissimis natalis soli locis. Ita enim geographiae pater, Strabo,<sup>1</sup> Ἐπὶ τῆς δὲ καὶ Πυθαγόραν ἰσορῶσι, Φυομένην ἰδόντα τὴν τυραννίδα, ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν, καὶ ἀπελθεῖν εἰς Αἴγυπτον, καὶ Βαβυλῶνα, Φιλομαθίας χάριν ἐπανιόντα δ' ἐκεῖθεν, ὄρῶντα ἔτι συμμένεσαν τὴν τυραννίδα, πλεύσαντα εἰς Ἰταλίαν, ἐκεῖ διατελέσαι τὸν βίον. Hic tamen tibi PIVS PRINCEPS habetur, quod, trucidato Pantagnoto, fratre suo, tyrannidisque socio, Apollini Delio, scelerum suorum Auerrunco, Rhenaecam insulam dicauerit. Neque meministi, fratrem huius alterum, Sylofontem, a Dario, Hytaspis filio, patriae impositum, nobilissimam Samiorum civitatem eo redegisse solitudinis, ut vel in proverbum Graecum cesserit,<sup>2</sup> Ἐκῆτι Συλοσῶντος εὐρυχωρία. Oportet esse nihili, quae tu alieno loco ἀκριβολογεῖς, ut chronographus: sola enim fama, atque coniectura, nisae sunt illorum temporum rationes, quae pro turbatis semper habitae sunt a summis viris; tuque ipse lectoris candorem in tam lubrica materia obtestaris. Verum ad Anacreontem redeamus. Quid? si quis minus, quam tu es, doctus huius vitam in hunc describat modum?

Anacreon, lyricus, Tei natus est, Sardibus regnante Croeso, si fama fides, Parthenio patre, atque Eëtia matre, ita enim vetus Herologion, Παρθενίῳ πατρὸς λιγυρὸς παῖς, Ἡετίας τε, Ἦν ἄρα μελπόμενος  
Τῆϊος

1. lib. 14. p. 638. Casaub.

2. Vid. Zenobius paroem. 3, 90.